

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Schola saltem Wilhelmitarum, suis studiis commodum, eo facilius inveniret. De tua benevolentia & promptitudine in juvandis egenorum Pastorum Filiis nihil dubito. Itaque multis precibus te fatigare nolo. Cum enim scias, qualis hic sit juvenis, minime ipsi deeris. CHRISTO te cum tota vestra Ecclesia commendo. Et ut D. Illyricum tibi commendatissimum habeas, oro: quem gratis jam multi persequuntur & non pauci hæreses suspectum reddere conantur, propter veram de peccato originali sententiam, quam profecto ego, cum sit Scripturæ & Lutheri doctrinæ consentanea, damnare non possum. Vale, 1570. 9. Aprilis.

T.

Cyriacus Spangenberg.

## VI.

*Salutem & pacem in Christo Salvatore.*

DE tua, Clarissime Vir, erga studiosos bonarum literarum insigni benevolentia, eosque juvandi indefesso studio, prolixè nobis testatus est Egregius Juvenis, Fridrichus Rhodius. Inde non exiguam spem concepimus, & huic, quem nunc mittimus, Adolescenti nostram in gratiam ultro te gratificaturum. Est is boni, docti ac pii Pastoris in nostro Comitatu, pauperis tamen & multorum liberorum parentis Filius, aliquandiu in ædibus meis gratis educatus, postea ex meo consilio in Islebianam Scholam uberioris fructus capiendi gratia transmissus, ubi meo judicio bonam navavit operam. Postquam autem ad Academiam aliquam sese conferre statuisset, vestra occurrit, in qua se plurimum profecturum aliorum exemplis & ejusdem non confictis Encomiis permotus, certissime confidit. Ab hoc proposito ego avocare adolescentem nolui, sed potius hortator fui, ut quamprimum in iter sese conjiceret. Et nunc his brevibus eum tibi, humanissime Domine, commendare volui & petere, ut pro solita tua pietate illum juves atque promoveas, quo possit apud vos locum suis studiis vel in Collegio Wilhelmitarum, vel in Academia idoneum nancisci. Idem mecum petit totum Mansfeldense Ministerium, quod in primis etiam te salutari jubet. Non dubitamus, Andream hunc, quem vobis commendamus, in omnibus, quæ frugi adolescentem decent, facturum. Et promittimus nos quoque omnem gratitudinem. CHRISTO te commendamus. Vale. Datæ 4. Iduum Aprilis, 1570.

T. Cyriacus Spangenberg, Ecclesiæ  
Mansfeldensis Pastor.

VII.